



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim**

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii  
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae  
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

**Quintilianus, Marcus Fabius**

**Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665**

CCCXXIV. Bona sacrilegi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12889**

vacaret? nam (ut dixi) si pestilentiam finiri Dii immortales nolissent, aut nullum responsum, aut aliud certe dedissent. Demonstrata satisfactio & in hoc valet, ut accipienda sit. Vereor, iudices, ne quid fingere ex necessitate periculi videar, veruntamen me religionis meæ dissimulare quæ acciderunt non finit ratio. Alexandrum apud me valuisse solum putatis aut ullam mercedem? Ego illum recessurum putabam, etiam si non pacisceretur. Deus, Deus ille (testor ipsum & præsentissimi conscientiam numinis) ille adegit, ille iussit, ille in has preces misit: secundum hoc quodammodo fuit responsum.

## C C C X X I V.

*Bona sacrilegi.*

QUI REUM CÆDIS DAMNAVERIT, BONA EJUS POSSEDEAT, SACRILEGI BONA TEMPO CONSECRENTUR. Damnatus cædis cum torqueretur, dixit & sacrilegium à se commissum. Ambigitur de bonis. Sacerdos templo vindicat: accusator sibi.

## D E C L A M A T I O.

**A**Ntequam leges comparamus, intueri personas libet. Nos nullam habemus in litigando propriam cupiditatem: non acquirimus nobis: petimus bona templo, petimus honorem Deo. Adversarius sibi vindicat, & in præmium operæ suæ deposcit. Ostendit quare accusaverit. Quemadmodum personas comparavimus, ita comparemus & leges. Idem demus utrique tempus, eandem utrique legi causam: ipsæ tamen etiam citra defensiones, non parem rationem habent. Scripta est altera Deo, altera homini. Æquum est priorem esse rationem religionis.

## S E R M O.

*Hic subjici poterat & locus in quo laudemus hanc legem.*

## D E C L A M A T I O.

Præterea & alioqui justius est sacrilegi bona pertinere ad templum, quam damnati ad accusatorem. Quare? quoniam



quoniam in sacrilegio, propria templi injuria est: in damnatione rei, alienum crimen. Ita illic præmium est: hic solatium: illic datur ista pecunia, hic quodammodo redditur. Hæc comparatio esset, si ipsas leges committeremus: nunc nostra & tempore prior est. Ante enim commisit sacrilegium, quam cædem. Accusator hoc nititur, quod ante damnatus sit cædis, quam sacrilegium confessus sit. Non est autem intuendum, quo tempore aperuerit se culpa, sed quo tempore commissa sit, quo tempore hanc poenam, de qua quæritur, ille meruerit. Id cum ipsa natura justum est, tum etiam legibus apertum. In cæde enim spectanda sit damnatio, in sacrilegio tempus ipsum intuendum. Quare? quoniam lex tua ita scripta est, ut qui damnaverit bona possideat, possidere non potes, lex mea ita scripta est, ut bona sacrilegi ad Deum pertineant. Statim ergo ut fecit sacrilegium devotus huic poenæ est: & ante ista bona ad Deum pertinere cœperunt, quam lex damneret. Vide quantum recedas ab intellectu juris hujusce. Si cædem ante sacrilegium commisisset, tamen quoniam postea cædis damnatus esset, ad Deum potius pertinerent: non enim prodesset tibi quod prius cædis tempus esset: quoniam lex tua non ad cædem, sed ad damnationem pertinet. Nunc vero cum sacrilegium ante commissum sit, quam cædes: non est dubium quin bona ista templi sint. At enim præmium mihi debetur: meo enim beneficio & sacrilegium illud inventum est. Immo hercule etiam illa cædes, beneficio suo: ex quo semel manus inquinavit, infecutæ sunt illæ protinus furia, ut hunc hominem palam occideret, ut reus deferretur, ut damnaretur, torqueretur, ut confiteretur. An vero tu illum, quod sacrilegium à se commissum esse dixit, præstitisse ignibus, quos nos subjecimus, aut flagellis putas? nihil illa tormenta ad confessionem sacrilegii pertinebant, non de hoc torquebatur. Numen

1 Immo hercule etiam illa cædes beneficio suo.] Scribe, beneficio sacrilegii. Idem.



men erat profecto, numen illud, quod subjiceret faces, quod acrioribus stimulis agigaret. Vos de cæde torquebatis: ille de sacrilegio confitebatur.

## CCCXXV.

*Hæreditas fidei commissa.*<sup>1</sup>

Pauper & dives vicini erant. Pauperi uxor speciosa: rumor erat adulterari pauperis uxorem à divite, conscio viro: delatus lenocinii reus pauper, & absolutus est. Dives decessit hærede instituto bonorum omnium paupere, & elogio tali. PETO UT HANC HÆREDITATEM RESTITUAS ET CUI ROGAVI. Petit à paupere uxor hæreditatem: tanquam fidei commissam.

## S E R M O.

*Quid dicimus quomodo hæc uxor & hæres erit, & adultera non erit? quomodo si conscius nullius flagitii fuit maritus, illius potissimum fidei hæc hæreditas mandata est? Invenienda est enim aliqua causa propter quam hæres sit. Nunquid hic dives hanc speciosam adamavit; cum ipsa loqui nihil ausus est, locutus est cum viro, & inde opinio: dum captat, fecit testamentum. Quædam etiam si rhemate non continentur, natura tamen ipsa manifesta sunt. <sup>2</sup> Matrimonium inter hos non esse qui litigant, videatur nihil luce clarius.*

Non

<sup>1</sup> *Tanquam fideicommissam petit.*] Vi-  
debitur fortasse prima fronte tale quid  
hic deesse, uxori tuæ restituas. Sed reve-  
ra nihil deest, præterquam quod virgulis  
inclusum (ut quicquid aliud simile) ad-  
jecimus. Nam si dives ita specialiter  
pronuntiasset, uxori tuæ restituas, semota  
esset omnis controversa inter virum  
& uxorem: omnique modo restituenda  
esset hæreditas mulieri ex testamento  
divitis. Hoc ergo facit quæstionem,  
quod dives expressè quidem à paupere  
petiit, fidem ejus secutus, hæreditatem  
restitueret, penes se non haberet: sed  
cui restitueret, de eo nihil dictum est nō-  
minatim. In hoc ambiguo certat uxor  
conjectura, & ex tacita fide & voluntate  
fideicommissum petit. ejus enim in eo  
probatio est, ut l. quidam cum filium-  
familias ff. de hæred. institut. ubi apud  
Africanum nihil testator quicquam ver-

bo ab hærede petierat. hic minor dubi-  
tatio, quia restitui quidem, sed indefi-  
nitè postulavit. Illud notandum est,  
uxorem hanc adulterii tantum suspen-  
ctam fuisse, non damnatam, absolu-  
tumque pauperem lenocinii. Alias tur-  
pi personæ fides tacita in fraudem legis  
accommodata diceretur, essetque fidei  
non uxoris actio. Habet hæc declama-  
tio aliquid commune cum ea apud Se-  
necam lib. 3. controv. 16. *Ærodius.*

<sup>2</sup> *Matrimonium inter hos non esse qui  
litigant.*] Immo erat, & id meminisse ac  
præferre per totam orationem oportebat  
declamatorem. Hoc est, quod vult  
Fabius, & sic expressit: *Matrimonium  
inter hos esse, qui litigant, videatur luce  
clarius.* Hoc scilicet pudore abstinere à  
quibusdam, quæ alioquin utiliter in cau-  
sam possent dici. *Ærodius, videatur  
mihi luce.* Gronovius.